



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In  
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij  
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

**Peñafiel, Alonso**

**Lugduni, M.DC.LXXIIX.**

Qvæstio II. Quid sit substantia quæ est caput Prædicamenti substantiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

comprehenditur, cum & stare, & sub alio esse significet, stare autem est quasi propria virtute inniti, & non indigere alio subiecto à quo sustentetur, itaque in hac significatione substantia, & per se, & in se stat, id est sua substantia fulsitur, sicut domus fulsitur fundamento, & animal suis pedibus innitur.

Alia est quasi respectiva seu respectu alterius, quia est in ordine ad accidentia, quatenus sustentat ipsa, quæ ratio indicatur per particulam *sub*, nam substantia in tantum substat in quantum sub accidentibus est, ut ipsa conservet, quare ipsa accidentia innuntur substantiæ ut ab ipsa sustentetur, unde in hæc in substantia sunt, & ideo substantia est quasi basis, & fundamentum cuiuscumque rei accidentalis, unde ipsa substantia debet per se, & in se stare, & esse primario id cui alia innuntur, nam si staret in alio iam non staret simpliciter ut stat, & sic, ut diximus, substantia hæc duo debet habere, & stare per se, & esse sub omnibus accidentibus, hæc ultima ratio licet videatur prima nominis derivatio, si eius impositionem, quæ ex nostra cognitione procedit spectemus (nos enim ex accidentibus progredimur ad cognitionem substantiæ, per habitudinem ad substantiam accidentibus eam primo concipimus) nihilominus tamen non est primaria substantiæ ratio, neque ita universalior ut comprehendat omnes substantias; nam Deus perfectissima substantia est, & nihilominus accidentibus non substat, quia nulla accidentia in Deo reperiuntur ut supra diximus, quia quidquid in Deo est, Deus est; ratio igitur perfectissima, & primaria substantiæ in propria definitione explicabitur.

Q V Æ S T I O II.

Quid sit substantia, quæ est caput prædicamenti substantiæ.

PRIMA conclusio, substantia illa positive sic definitur: est ens completum finitum, seu creatum per se existens. Ens completum creatum ponitur loco generis, quia in esse entis completi creati convenit hoc prædicamentum cum cæteris prædicamentis accidentium. Existens per se ponitur loco differentiæ, quia solum huic prædicamento convenit per se existere.

Explicatur hæc ultima particula, dupliciter autem dicitur aliquid existere per se, vel in seipso, quia in alio non existit ut in subiecto, hoc est nulli subiecto nititur, vel à nullo sustentatur, quia independenter ab alio existit; dependere enim ab alio est per aliud non per se existere, & hoc modo tam substantiæ creatæ, quam increatæ convenit per se existere, quia ita in se existit ut nulli subiecto nitatur, quo sensu partes etiam substantiales per se existunt, nam etiam possit existere substantia in alio, ut in subiecto tamen in hæc in se (eo modo quo existit accidens in proprio subiecto) non potest existere in alio; nam hic modus essendi tollit absolute rationem substantiæ, quia proprie convenit ei rei, quæ est extra omnem latitudinem substantiæ, & nullo modo ad constitutionem illius spectat, imo est contra rationem substantiæ; at vero alij modi essendi in alio, scilicet ut in toto, ut

in supposito, & in constituto non tollunt rationem essendi substantialem, cum in humanitate, anima rationali, & cæteris substantijs perfectis reperitur.

Alio modo dicitur existere per se aliqua entitas scilicet, quia illi debetur suppositivitas, de qua longe lateque à nobis agitur in metaphysica, ratione autem huius formalitatis distinguitur substantia completa creata, quæ est caput prædicamenti substantiæ tam à substantijs partialibus quam ab accidentibus, ab illis, quia licet debeatur substantiæ non debetur suppositivitas ab his, quia debitum suppositivitatis propter imperfectionem accidentium non reperitur in illis; accidens enim propter suam debilitatem, & tenuitatem non potest proprio essendi modo inniti ab eoque sustentari, sed necessario indiget subiecto à quo sustentari, foveri, & conservari possit, nam sicut est summa perfectio, infinitaque excellentia creatoris ut à se sit, in se existat, sine dependentia ab alio, & sine eo quod ab aliquo alio absolute conservatur, cuius non est capax creatura propter imperfectionem illius, ita in se, & per se existere sine dependentia à subiecto in hæc in se, si non infinita nimirum, magna perfectio est, cuius incapax est accidens ut supra diximus.

Altero modo positive describitur substantia est ens completum sua perfectione superans omnem accidens, substantia enim secundum suum conceptum est perfectio simpliciter simplex, quod non habet ex se accidens, quia multis imperfectionibus immixtum est natura sua, unde sine dubio substantia excedit accidens.

Negative definitur hoc modo substantia est ens completum creatum, quod in nullo subiecto existit, quia autem triplex modus existendi in subiecto est v. g. in hæc in se, eo modo quo albedo existit in pariete, vel adhæc in se, eo modo quo unio materiæ ad formam adhæret formæ, vel tandem informative, eo modo quo forma equi est in materia prima, ideo ut excludatur omnis modus existendi in subiecto ponitur illa particula in nullo subiecto existit, nam substantia completa ex vi propriæ perfectionis nullo subiecto indiget, quia ex vi suæ naturæ sibi sufficit, & sufficienter constituitur in eo gradu, à quo excluditur omnis indigentia subiecti, indigere enim illo indicat imperfectionem entis imperfectissimi, uti est accidens, & intra genus substantiæ modus substantialis.

Q V Æ S T I O III.

Quid sit substantia ut sic provi abstractivè à completa, & incompleta, reali, & modalit?

S E C T I O I.

Placita Adversariorum ponuntur.

PRIMA sententia docet substantiæ ut sic esse ens per se, & in se, id est, res ita firma, & constans ut possit substinere accidentia, hanc definitionem tradit P. Suarez in metaph. disp. 33. sect. 1. quam sequuntur multi neoterici, & probatur sic.